



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

VII. Ad solemniter profitentes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)



casu necessitatis. Urbs cadet, utut munitissima, ad quam aditus inimicis patet per portas apertas. Lingua muta, & clausus oculus sunt magnæ sanctitatis instrumenta. Pro horum perfecta mortificatione in venerationem omnium sensuum, & membrorum in Christo JESU oremus 50. Pater, & Ave cum Lytanijs de Illius nomine potentissimo. Unde excisi, inde & sanctificati sumus.

EXHORTATIUNCULA VII.

Pro Solenniter Profitentibus, & tria  
Vota emittentibus.

I.

Fili! Sponse! Qualis hæc dies? Quàm nobile, & pretiosum vobis imminet tempus! O si nunc daretur mentis oculò cæli penetrare palatia! Quid ambo cerneremus? Occurreret vobis SSS. Trinitas, ut Pater æternus vos in filium, Christus JESUS in fratrem suum, & Spiritus Sanctus in sponsam dulci osculò, & amplexu arctissimo adoptaret. O diem, quam verè fecit Deus, exultemus, & lætemur in ea.

*Instructio meritoria.*

Ne grato unquam excidat animo, ad trina signa angelicæ Salutationis quàm devotissimè flectamus, & ad tria Ave quotidie solemniter vota renovemus, cum repetita protestatione: *Tædeat me gaudere sine te: Et delectet me multa pati pro te: Sit mihi nomen tuum mea refocillatio,*



latio, & memoria tui unica consolatio. O Trinitas beata!

## II.

**C**Hare! Dum ad sacram Professionem gratulor, simul & vos in Domino adhortor rogans: Currite, & nolite tardare! Altissima enim est Professio vestra! Cœlos transit, par angelis est, angelicæ similis puritati; non enim vovebitis solum omnem sanctitatem; sed & omnis sanctitatis perfectionem. Aliorum est servire Deo; vestrum erit impostertum adhærere; aliorum est, Deum credere, scire, amare, colere; vestrum erit sapere, intelligere, frui, possidere. Quanta obligatio!

*Instructio meritoria.*

Macte animo! qui dedit velle, dabit & perficere. Oremus hodie dulcia Cantica, quæ incipiunt de communi Virginum: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo* &c. violenta non durant! Hilarem datorem diligit Deus.

## III.

**Q**ui adhæret Domino, unus spiritus est. O Religionis Candidate! Impostertum non sui, sed Dei erit; non in carne, sed in spiritu oportebit vivere. Deus semper in actu est; ita sit & ipse in continuo labore, & operatione sancta. Nil durum amanti, nil amarum, nil grave sentit amor. Spurius est, si pati renuit, & fœdus cum amato infringit, aut jugum abjicit, quod



quod sponte suscepit. Cœlum vos fervet ab impietate tanta!

*Instructio meritoria.*

Sacra Religionis vestimenta exosculemur cum gemitu S. Pauli: *Quis nos separabit?* Et ut soli Deo adhæreamus, psalmum dicamus, qui incipit: *Deus noster, refugium, & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis* &c. non pellitur hostis, nisi clamandô, perseverandô.

EXHORTATIUNCULA VIII.  
Pro Venerandis Primitiantibus & Neomyftis.

I.

O Magne sacerdos! Vobis ex affectu ardentissimo noviter collatam defursum apprecor dignitatem, quam considerans doctorum aquila Divus Augustinus exclamat: O veneranda sacerdotum dignitas, in quorum manibus, veluti in Virginali utero Filius Dei Incarnatur! O Venerabilis sanctitudo manuum! O felix exercitium! O verè mundi gaudium! Christus tractat Christum, id est sacerdos Dei Filium, & quod datum non est angelis, concessum est homini. Agnoscat jam, ô inuncte fili! Quid debeat pro Sacerdotio toti SSS. Trinitati?

*Instructio meritoria.*

Et ut modo saltem humano, atque possibili compenset, quoties celebraverit, toties reflexè tres actus variarum virtutum (præcipue modestiæ,